

Letter 100: 26 July 1521, Leipzig, Petrus Mosellanus to Capito

The manuscript of the letter is in the Universitätsbibliothek, Basel, Ki. Ar. 25a, #59.

Uter utriusque nostrum amicitiam prior ambierit, quia non multum refert, non adeo in magno discrimine ponamus, etiamsi, quae mea est tenuitas praehensando antevertere me conveniebat, praesertim Fabritium theologum trium linguarum egregie peritum, ut interim reliquas dotes tuas, quibus nos antecellis, non commemorem. Qui tuas mihi litteras reddidit, 5 Thilmannus quidam Reverendissimi Cardinalis Moguntini ceremoniarum magister, homo et doctus et tui studiosissimus, aiebat te Reverendissimi Cardinalis Quatuor Coronatorum, opinor, beneficio magnifico sane et amplo praepositurae cuiusdam Argentinensis sacerdotio adauctum. Quam fortunam! Fortunet tibi Christus Jesus Optimus Maximus. Quando quod tibi evenit boni, non tibi tantum sed communiter cum amicis habes. Quid enim aliud interpreter quod hunc 10 homuncionem, si hic conditio sit incommoda, in fortunarum tuarum partem vocas? Quod si familiariter notus essem Fabritio non admodum mirarer istam novam, et paucis usurpatam liberalitatem tuam. Nunc quum ne de facie quidem sim notus, cui non ad prodigium usque videberis benignus?

Mihi vero, ne quid de me erres, optime frater (fratrem enim voco qui fraternum erga me 15 geris animum), est hic fortuna tolerabilis utcumque, primum salarium annuum a principe septuaginta aureorum pro publico graece docendi labore constitutum. Deinde nuper admodum, cum hic quidam e Theologorum collegio vita functus esset, illustrissimus princeps me in demortui locum surrogavit. Porro collegii redditus annui sunt aurei plus minus centum. Nec tamen quidquid id est, cedit nobis [gr.] aponeti. Nam haec conditio hoc secum adfert incommodi, quod 20 subinde ex aliquanto intervallo totius collegii [gr.] oikonomon agere oportet. Quae cura cum a studiis avocet, mirum quam a me detrectetur. Ecce autem novam tragoediam: Ambio, principis iussu theologicae professionis titulum, at theologi nostri aegre hunc mihi permittunt, quod ut aiunt hactenus se parum reverenter tractarim, praecipue in quadam ad Erasmum epistola in media epistolarum Erasmicarum farragine publicata, tum quod verendum sit me Rhomanae ecclesiae 25 (hoc est Rhomanensibus) obedientiam, quam iurare me oporteat, non praestem. Vides qua arte isti tyrannidem suam tueri inceptent. Subolet maleferiatis id, quod res est, fore ut doctori mihi canonicatus Misnensis ecclesiae a principe donetur, se natu grandioribus interim praeteritis. Subolet quoque si quando ad generale concilium eruditorum cum sophistis dissidium devenerit, male sibi fore, si nostrae farinae multi titulis etiam insigniti adversam causam tueamur. Sed, uti 30 spero, nihil proficient. Nam mihi praesidium est primum in principis favore, mox in totius Academiae nostrae suffragiis, cui istud genus hominum multis de causis est invisum. Sed satis de quercu.

Audio te istinc demigrationem moliri, etiam si faventissimos habeas optimos quosque. Sed hoc tibi non permittet incredibilis quidam Alberti principis tui candor. Is te (sic Stromer mihi 35 narravit) istinc non facile sinet abire. Et ipse non video ubi illustriorem sedem invenire possis. Da operam ut apud hunc heroem litteris renascentibus prosis, potes enim, quum ille te facit plurimi.

Bene vale et ex me reverenter saluta Dominum Doctorem Christophorum de Gabelentz ecclesiae vestrae cantorem, cuius consuetudine exactae brumae mensibus iucundissima fruebar. 40 Item charissimo litterarum patrono Domino Theoderico Zobellio tuo, id quoque scio, singulari Maecenati per occasionem me commenda.

Lipsiae e collegio nostro Annae matris Mariae feriis.